



Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

IV. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

perficiatur, Gilcken de Prescript. p. 30
cap. 1, in fine & Bruneman. in l. Rerum
cit. n. 2. licet, si longiori tempore adi-
ficatio applicata, implicataque aut conglu-
tinate fuissent, non ipsæ, sed ædificium
possideretur & usucaperetur.

Eidem explicatione & possessionis
continua necessitatē opponi solet; quod
ex ea non leve præjudicium timendum
sit iis, qui rei possessione vi metuere
injustè incusso deficiuntur; cum, si posse-
ssionem continuam exigat præscriptio,
hæc ab ipsis inchoata interrumpatur, ad
eamque perficiendam præteriti temporis
7. possessio inutilis evadat. Sed argumen-
tum hoc non magis quam instantia ur-
gent, partim; quia nullâ suâ culpâ vi de-
jecti, naturali possessione amissâ, animo
retinere valem Civilem: partim vero; quia
ipsi succurritur auxiliò in integrum resti-
tutionis ex clausula generali, Si qua alia
mibi justa causa videbitur l. 1. §. 1. ff. Ex
quibus causis major, quâ in primitum stan-
tum ita reducuntur; ut rem, à cuius pos-
sessione nullâ suâ culpâ deciderunt, non
possidisse alius: sed naturalis etiam pos-
sessio penes ipsos semper excusat. Juris fi-
ctione censeatur, cit. Peckius in fine, &
Stein. cit. n. 8. object. b.

REGVLA IV.

*Peccatum non dimittitur, nisi
restituatur ablatum.*

SUMMARIUM.

1. Injustitia inducit obligationem resti-
tuendi,
2. Et resarcēndi omnia damna.
3. Formaliter injuste proximo illata.
4. Sensus & ratio Regule:
5. Quæ triplici argumento impugnatur,
6. Eorūque soluione firmatur.

7. Restitutio à damnificante in via fa-
cienda,
8. Vel commendanda hereditibus est;
9. Ut pro sit anima defuncti.
10. Causa excusantes à Restitutione.

L Atum inter peccata est discriben; 1.
quædam enim Justitiae Commu-
nativæ, ut furtum, rapina, homi-
cidium, detracitio & quævis in
hominis bonis vita & fama laeso injusta;
alia, ut Hæresis, superbia, odium, gula
&c. aliis Virtutibus adversantur: quo-
rum, quæ contra illam: non etiam, quæ
contra cæteras Virtutes committuntur,
restituendi obligationem inducunt; quia
sola Justitia voluntatem inclinat ad tribu-
endum cuique jus suum, sive quod ipsius
aut ipsi debitum est, l. Justitia 10. pr. ff.
de J. & J. servatā omnimodā æqualitate;
ut tantum & non minus habeat, quan-
tum ipsi debetur. S. Thomas 2. 2. q. 58.
art. 1. & Molina Tract. 1. de J. & J. disp.
2. n. 3. Unde in peccato, contrario Justi-
tiae Communativæ, vg. in furto, rapina,
tria reperiuntur. Reatus culpæ, eaque
promeritæ poena æternæ: obligatio ad
poenam temporalem, à legitimo magistratu
infligendam ex Justitia Vindicativa, &
obligatio restituendi, hoc est, reddendi,
quod clam aut vi ablatum est ac retinetur.
Ex quibus culpæ & poenæ æternæ reatus à
solo Deo, ejusque nomine ab habente po-
testatem sive confessario: poena tempo-
ralis à legitimo magistratu: restituendi
obligatio remitti potest ab eo, cui res est
ablatæ: quôproinde eam non remittente,
restitutionis facienda obligatio, donec
impleta sit, perseverat.

Restitutionis autem verbum hōclo-
cō sumitur in sensu Juridico & Theologi-
co; ut non solum alienæ rei, vi aut clam
ablatæ, redditionem, si extet: vel, si non
extet, æstimationis exhibitionem: sed

A a a 3

damni

damni quoque iniustè illati resarcitionem comprehendat; quia Restitutiois verbō omnis actoris utilitas continetur, l. Cūm
Prator 81. ff. de V. S.

Potest autem damnum inferri injus-
tē, vel materialiter solum, vel formaliter
etiam. Materialiter iniustē illud infert,
qui rem alienam aufert, retinet, destruit,
deteriorat, bonā fide ratus, esse suam, cām-
ye auferendi &c. jus se habere; cūm re-
ipsa non haberet: qui restituere id solum
tenetur, quod ex re aliena possidet, aut
inde locupletior est factus. Formaliter
iniustē damnum infert, qui rem alienam
aufert, retinet, destruit, deteriorat dolō;
cūm, hæc agendi jus sibi non competere,
scire, vel saltē scire deberet & facilē
posset: qui restituere, quantum ablatum,
& relarcire tenetur damnum, quantum est
illatum; ac proinde rem, si exter, cum
omnibus fructibus: si non extet, aut de-
terior facta sit, ejus vel defectū aestima-
tionem & quanti interest, tali re non ca-
rissime, cit. S. Thomas q. 62, art. 6. Leffius
Lib. 2. de J. & J. cap. 7. n. 15. & Laiman
Lib. 3. trah. 2. cap. 1. n. 1. & 2. Ex his

Regula senius expeditus planisque
est, Ut peccatum contra Iustitiam Corru-
tatiā commissum, quoad reatum culpe
& pena aerna, remittatur, non sufficit
dolor cum proposito emendationis & con-
fessio Sacramentalis: sed insuper necessa-
rium est; ut peccator rem ablatam & de-
tentam restituat: aut, si amplius non
extet, ejus estimationem lafo exhibeat,
elque iniustē illatum damnum resarciat;
vel saltē ea proximē prestundi habeat
voluntatem: nisi legitimā aliquā causā
excusat. Ratio est; quia, Si res aliena,
propter quam peccatum est, reddi possit, &
non redditur, punitio non agitur, sed
simulatur, ex sententia S. Augustini Epis-
tol. 54. ad Maced. can. Si res 14. q. 6. te-
lata.

Ratio Regulæ est; quia, rem ablatam
restituere & iniustē illatum damnum re-
sarcire reniens, proximi laisionem conti-
nuat contra præceptum Juris Naturalis
ac Divini, exigens; ut iustitia & æquali-
tas observetur: iniustitia vero eaque in-
ducta inæqualitas evitetur: &, si quæ a-
ctione nostra inducta est, tollatur. Quod
cūm non nisi rei alienæ detentæ, ejusve
aestimationis restitutioe damnique illati
resarcitione fiat, his nec prelitis nec
propositis, peccatum, quoad culpa & po-
na æternæ reatum, tanquam male dilpo-
sito & non vere penitenti non dimitte-
tur.

Quamvis autem hic Regulæ sensus
perspicuus itaque solidus sit; ut eum ulli
instantiæ obnoxium, Glossa hic inficietur,
alii tamen Interpp. ei opponunt. Primo
illud Servatoris nostri, *Facte vobis ami-
cos de Manmona iniuriantis*, Luca cap.
6. V. 9. Unde iniustē parta in elemo-
synas parumper converti posse, nec resti-
tutione lafo facienda opus esse, aiunt. Se-
cundo, is, pro quo tentatio in judicio
lata est, postquam ista in rem judicata
transit, ad restitutioem non adstringi-
tur: licet postea aduersam partem melio-
ri jure nisi & victori rem alienam adjudic-
atam appareat, c. Inter monasterium 20.
de Sent. & rejudic. Tertiò c. Officij 9. de
Pænit. & re miss. mulier, alieni partis, ad
legitimos hæredes ab hæreditate exclu-
dendos, suppositi aut ex adulterino con-
cubitu suscepit rea, ad Penitentiam ad-
missa est, quin ad hujusmodi proliis succe-
sionem impediendam ei sui criminis ma-
nifestatio fuerit injuncta, minimè obfe-
rō argumento, etiam iniustitia peccatum
ali quando remitti, non facta ullâ restitu-
tione.

Sed ista nec restringunt Regulam, nec
infringunt Glossa assertionem; facilis e-
nam responsio est ad primum; quia illud
Christi

Christi Domini pronuntiatum porrigen-
dum non est ad injustè parta, quorum do-
minus scitur; quia, huic faciendam restitu-
tionem, Regula est, ultra debitum obser-
vata à Zacciano, iis, quos defraudavit,
quadruplum reddente, Luca cap. 19. v. 7.
sed ad divitias sordibus & nimis sollici-
tudine quæsitas, atque etiam ad ea, quo-
rum dominus ignoratur, restringenda,
Peck. adhanc Reg. n. 10. in fine.

Non magis urget alterum; esto enim
sententia, postquam in rem judicatam
translit, pro veritate accipiatur, I. Res ju-
dicata 207. ff. de R. J. & ut litium finis
sit, adjudicati restitutio non urgeatur in
foco externo: & in interno quoque ad
eam non obligetur, qui bonâ fide judi-
cium subiit & sententiam pro se tulit:
etiam si ex documentis postea repertis a-
liisque probationibus se prodentibus ad-
versa pars jus appareat: ad illam tamen
huius faciendam in interno seu Conscientiaz
foco adstringitur, cui malâ fide litiganti
res, quam alienam esse scivit, per senten-
tiā est adjudicata, arg. c. fin. de Fra-
script. ut dictum Lib. 2. tit. 27. n. 95.

Non majorem vim habet c. Officij
cit. textus; quia ejusmodi mulierem, si
marita & legitimis hæredibus imminent
damnum impedit, aut illatum compensare
valeat sine jaclura famæ, aliòve gravi
incommodo, nemo est, qui non obliget,
& renuenti absolutionem non aferat de-
negandam. Quare ad hanc ex c. cit. de-
cione eō solum casu admittenda est, quod
damnum illud impedit, aut illatum resar-
cire sine vita, famæ, & similiū gravissi-
morum incommodorum periculo non
potest, per tradita Tit. 38. cuius art. 7. rito
c. cit. casus pleniū est discussus.

7. Porro, ut injustè detenti restitutio à
culpa & poenâ aternâ reatu liberet, eam
ab injusto detentore vel. damnificante in
hoc seculo fieri decernive, est necesse; cum

ea, quæ ab hæredibus decernit, defun-
cti animam à reatu illo & Purgatoriis c-
tiam peccis liberare nequeat: sicut ejus
animam in eodem igne purgatorio deti-
nere hæredum, restitutio omittenti-
um, negligenter non potest; vel enim de-
functus restitutio & damnorum re-
farcitionem, cùm eam facere per se non
posset, hæredibus commendavit ac pre-
cepit, vel id culpabiliter omisit? Si prius, 8.
in Purgatorio suâ tantum restitutio
dilatione & aliis culpis promeritam pe-
nam temporalem exsolvet, eaque exsolu-
tâ liberabitur: etiam si hæredes ipsius,
restitutio præcipientis, supremam
voluntatem implere negligant. Si po-
sterius, à peccis inferni, ad quas ob re-
stitutionem culpabiliter omisam & hæ-
redibus non commissam damnatus est,
non liberabitur: etiam si restitutio ab hæ-
redibus sit facta, S. Thomas Quodlib. 6.
art. 13. Navarrus Manual. cap. 29. n. 68.
S. Quæstionis & Sayrus Clavis Reg. Lib. 10.
tratt. 1. cap. 2. n. 6.

Neque aliud evincunt à nonnullis
objecta c. In literis 5. de Raptoribus
Verba, Ut sic à peccato valeat liberari,
cum; quia hac lectio mendosa est; quod
pro verbo valeat, quod ad defunctum re-
fertur, legendum valeant: & verbum hoc
referendum sit ad hæredes, qui à defuncto
injustè parta restituere, ab eoque illata
damna reparare debent; ut liberari valeant
à peccato, quod restitutio negligenter
omittendō vel differendō commitunt:
tum verò; quia si verbum Valeat re-
tinetur & referatur ad defunctum, exaudiendum
est de suffragiis & oblationibus
pro ejus sepulturâ sacrâ tumulandi, ani-
ma post factam ab hæredibus restitutio
nem offerendis, eique ad liberationem à
peccata temporali profuturis, Navarrus!
cit. & alii apud Barbofam inc. cit. n. 4.

Dixi, Nisi legitima causa excusat; 10.
sunt

Sunt enim variae causa & casus, quibus iniustè detenta restituendi haec tenus stabilita necessitas aliena detinentem aut damnificantem non urget: Primo quidem, si damnum sine culpa Theologica sit datum, juxta dicta Tit. 36. & n. 33. Secundo, si debitor vel simpliciter non habeat, unde restituat, vel satisfaciat, arg. Reg. Impossibilium 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6. aut id facere nequeat sine damno multo graviori in vita, fama &c. sibi suisse inferendo, can. Si res 14. q. 6. Sylvester V. Restitutio 5. q. 3. Navaritus cap. cit. n. 57. & Laiaman tract. cit. cap. 12. n. 1. Tertio, si restitutionis dilatio in magnum bonum domini cederet; quod is pecuniam aliave re sibi redditam in suam perniciem sit abusurus. Quartò, si res solummodo materialiter iniustè detenta interierit; cum, eam solum extantem restituendi obligationem dari, jam sit dictum. Quinto, si debitor cedat bonis, excusat, donec venerit ad fortunam pinguorem, I. Cum Sfilia 7. C. Qui bonus sed. poss. Sexto, si restitutio ab eo, cui facienda est, voluntari & gratuitè remittatur, arg. l. In remandata 21. C. Mandati. Septimò, si bona incerta ex delicto vel beneficii fructus male percepti, aliquā tantum parte pii causis applicata, à Papa per Bullam Cruciatæ aliōve modō condonentur &c. de quibus Azor p. 3. Instit. lib. 4. cap. 39. Lessius lib. 2. de J. & J. cap. 16. & n. 1. Laiaman cap. 12. cit. & n. 1. & Busenbaum Lib. 3. Medull. tract. 5. cap. 2. art. 3.

REGVL A V.

Peccati Venia non datur, nisi
correcto.

SUMMARIUM.

1. Regula verborum acceptio,
2. Illiusque sensus & ratio,

3. Etiam in Veniali peccato procedens.
4. Verè non penitenti absoluto non confertur.

P Ecce nomine etiam hæc Regulæ intelliguntur culpæ Actualis eaque promerita pena æternæ reatus. Venia autem ejus remissio: & Correctionis nomine, non punitio seu castigatio: sed Penitentia, hoc est, cordis contritio perfecta, vel attritio cum Sacramentali confessione & absolutione, vel alterius Sacramenti, contritum, ut loquuntur, ex attrito facientis perceptione conjuncta, denotatur, ut ad hanc Reg. notant Barbosa n. 2. Strein. n. 1. & Nidus & n. 1. Unde

Per spicuous omnino & à proximè explicatae non alienus praesentis Regulæ sensus est, Peccatum Actualē quod reatum culpæ & pena æterna à Deo non remittitur: nisi de eo commissio agatur penitentia, hoc est, elicatur Contritio perfecta vel cum Attritione Sacramentalis absolutione vel alterius Sacramenti, ex attrito contritum facientis perceptione fuerit conjuncta; neque enim ad consequendani peccati remissionem & sanctificandam gratiam recuperandam sufficit, quod alia quantumcumque Deo grata pia opera peragantur. Penitentiam autem ad venie confessionem requirendam ratio fuit: quod omnino conveniens sit; ut, qui peccatum actuale committendō propriâ suâ voluntate à Deo summo & infinito bono fuit aversus, absque omni propriæ voluntatis motione & ad Deum conversione gratiam ab eo non recuperet, S. Thomas 3. p. 9. 86. art. 2.

Ratio hæc, licet non procedat in peccato Originali: & hoc si, quod in adulatis raro eveniet, cum actuali conjunctum non sit, sola Baptismi suscepione remittatur, can. Firmissime 3. can. Ex quo 6. Sc. dist. 4.